



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

II. Auctorum nomina (quorum nemo ex societate) qui scibunt Ignatium ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

quoque in Dei gloria strenuè proferenda successus habere vberimos. Robur enim illud inuicti pectoris quo ne vitæ quidem periculo territus, per acerbissimos dolores, gloriolæ ante meruerat; in patientiam vertit affligendi alacriter, & implacabiliter corporis; excelsum cogitationum, & animi, quicquid esset vulgare dedignatam, integrè retulit ad amplificandam diuinam gloriam; procliuè illud ad arma, & bellica, totum incubuit ad conscribendam militiæ nomine, ordinandamque societatem nouam, cuius vnum opus, ac studium foret, orthodoxam fidem & auctoritatem Ecclesiæ tueri, latiusque in dies

## II.

*Autorum nomina (quorum nemo ex societate) qui scribunt Ignatium eiusque Ordinem, hæresibus nostrorum temporum diuinitus oppositum & Indorum conuersioni destinatum Greg. XV. Urban. VIII. Pius IV. Breui ad Philip. II. an. 1561. Pius V. ad Episc. Colon. 1568. Card. Ludouisius Monti, Alanus Ro. Rota audit. Concil. Terracon. 1602. Geneb. Spond. Torn. Ioan. du Perron, Petrus Matth. Marcellus Pisan. capuc. Flor. Raymond. Falbius, Res. Duplex, Suvius Payua, Rodr. tom. 1. 99. reg. Steuartus Maurolicus Sandoval Ep. Pamphil. & alij amplius.*

propagare.

Atque hîc iuuat memorare, inter cætera Ignatij decora, singulare hoc, ipsique proprium, & ab summis quæ Pontificibus, & Præsulibus; quæ huius, & superioris æui Scriptoribus plurimis illi attributum, quod ex militia sæculi eius belli ductor cœlitus lectus est, quo ad præsidium, vexata; ad defensionem, laborans Dei Ecclesia, esset magnopere vsura. In calamitoso videlicet Henrici per Angliam Schismate, in Lutheri desertione per Germaniam; in rebellionem Caluini per Galliam; in extendendis per Castellæ, & Lusitaniam Indias religionis veræ limitibus, quos per Europam hæresis impie arctarat. Fuitque hoc Deo ab ortu Ecclesiæ solemne, vt effusus in campum, hæresum ducibus, apostatis, tyrannis, propugnatores opponeret, nunc quidem, singulos, nunc inturmas digestos, ad hoc peculiari prouidentia euocatas. Sic olim Athanasium Atrio; Basilium Eunomio; Iuliano Gregorium cognomento Theologum; Nestorio Cyrillum; Hieronymum, & Augustinum Eluidio, & Pelagio; ante annos demùm quadringentos Albigenis furori, & grassantibus latè hominum vitis, sanctissimorum Francisci, & Dominici Patriarcharum familias geminas. Et certè dignum obseruatione Ignatij ortus, conuersio ad Deum, & conscriptæ ab eo Societatis instructio, publicis Ecclesiæ necessitatibus quam opportune occurrerint: quo enim anno Ferdinandus Castellæ rex cum Christophoro Colombo de navigatione decernebat quam hîc nouum in orbem ab se primùm repletum instituit; eodem Ignatium Deus huic mundo dedit, vt barbararum tot gentium erudatio, & in Christo cultus, eius tum operæ pretium, tum filiorum labor foret. Sexto vero post anno Orientem versus Vasco Gama in detectas ab se Indias nauigauit, quo item Xauerius nascitur, hoc est, 1497. Inde post quatuor, & viginti annos Martinus Lutherus Vormatiæ, effrontem coram Carolo quinto apostasiam professus, & desperatam emendationem Vatbergæ se abdidit, vbi nouus Ioannes, nouæ Patmos iactator ridiculus, præsentis veneni contra religiosa vota librum scripsit, qui pestifera sui lætatione, breui cœnobio insolititudinem mutauit; è contratio hunc ipsum in annum cecidit humanis ex rebus Ignatij fuga, votumque Deo militandi, ex quo receptis post curatum vulnus corporis viribus Mantefam secessit, vbi clara in luce æternæ veritatis libellum composuit Spiritualium Exercitiorum, cuius, vt dicitur, mirabili ductu & suam ipse sacram familiam collegit, & reliquas mirifice auxit. Vnâ Ignatius, & Caluinus Parisiis agebant; vnâ discipulos, & sequaces, quàm diuersi diuersos legebant. Illic factum sibi finxit Ignatius, *qui vitæ & doctrina sue malleo* (verba sunt Florimondi Raymondi) *hæresim fortiter obtinuit.* Ibidem Caluinus,



ait idem autor, alterum sibi Fabrum cudit, insignem oppidum suorum in fornacibus hæresum, Cyclopum ministrum. Henricus denique octauus Angliæ rex, qui valedicente mundanis Ignatio, Defensor fidei, gloriose fuerat appellatus, eodem prima societatis rudimenta Parisiis designante, deuouentique illam defensionem Ecclesiæ, Christi que Vicario, ab Ecclesia sese, eiusque capite Ro. Pontifice penitus abscidit, anno 1534. & pœna capitis eradi Papæ nomen quibuscumque in libris, cartisque legeretur, edixit. Licet id quoque aduertere, quantum Catholica fidei, postremis his annis, vtrisque per Indias lucra, iacturam superent, quam paucis ad Septentrionem in prouinciis fecerat; indiciis verò euentuum, quàm manifestis docuerit Deus fuisse saluti populorum Societatem ab se destinatam. Nec enim defuit diligentissimus calculator, castigatoremque damni, iuxta & lucri sæculis quindecim ab Ecclesia facti, qui diceret, Franciscum Xauerium, plures vnum Christo animas peperisse quàm hæreticorum quantum est, ac fuit, perdidissent. Deum autem præter consilium frangendi per Ignatium Lutheri, virum sibi in eo legisse idoneum qui Castellanis, & Lusitania, trans vtrumque Oceanum vela parantibus, fidei magistros, & Dei præcones eodem mitteret, maiori teste non possum asserere, quam Pontifice ipso, ita de Ignatio loquente [ Dudum felicitis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster Pie attendens quid ineffabilis Dei bonitas, & misericordia, quæ miro consilio, suis quæque temporibus aptè disponit, & præteritis sæculis, siue ad disseminandum Euangelium inter gentes, siue contra subnascentes hæresiarchas, destinauit plures sanctitate ac doctrina illustres viros, nouissimis temporibus cum per Lusitanorum reges in longinquas Indiarum terras, ac remotissimas insulas, latè patentem vineæ domini propagandæ aditum aperuissent; nec non minorem Catholici Castellæ reges, nouum in orbem, ad occidentem repertum, patefacerent; veterem autem religionem, omnemque illius sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem, Lutherus, monstrum reterrimum, aliæque detestabiles pestes, blasphemis eorum linguis, in Septentrionis partibus corrumpere, & deprauare ac sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitauit spiritum Ignatij Loyolæ qui ex medio honorum cursu, & à sæculari, & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus, ita se diuino imperio regendum, & formandum tradidit, vt demùm noua Societatis Iesu, (quæ inter alia pietatis, & charitatis opera, gentilibus conuertendis, hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, & Ro. Pontificis potestati tuendæ, ex instituto, se totam impendit) religione fundata, vitam admirabili sanctitate traductam, sanctissimo pariter conclusit exitu, ac plurimis sic miraculis illustratus eiusdem Ignatij, catalogo sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decreuit intendere ] hæcenus Pontifex in Bulla Canon. S. Ignatij.

Sequamur iam cæpto itinere, & iuuentutem Ignatij repetamus. Annos aliquot in aula egerat, cum vulgato fratrum bellicis in rebus egregio robore pungi cœpit, excitataque indole, aulæ seruitutem deinceps odisse, aulæ otium cum tædio ferre, & hanc eius impatientiam, duci Nagaræ Antonio Maurico, ex Principe nobilitate viro fortissimo denique explicare. Is bellicosum ingenium complexus, propinquitate etiam sanguinis impulsus, erudiendum iuuenem suscepit quotidiano ar-

III.

Arma capessit  
S. Ignatius  
Pampelonam  
propugnans,  
vulneratur.